



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 26. Anceps inter Neoportum, & Ostendam pugnae fortuna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

§. XXVI.

Anceps inter Neoportum, & Ostendam pugnae fortuna.

*Spond. hoc
ann. n. 13.
Gallut. l. 12.
& 13.
Theiras l. c.*

Inter hæc Mauritius Fœderatorum Dux gloriosam spe concipiens expeditionem bis mille octingentarum navium classem valido milite instructam adornabat, in Flandriam irrupturus: quapropter die vigesima prima Junii ad Salsum Gandavense oppidum exscensione facta Ernestum Nassovium præmisit, qui Philippinam munitionem deditioe capiens, castra prope Brugas metatus est, incassum ad defectionem sollicitatis Gandavensibus, Brugensibus, atque Echeloanis: interea Albertus cum copioso exercitu Gandavum versus magnis itineribus properabat, quocirca Mauritius Ostendam cum exercitu suo profectus die vigesima septima Junii quatuor munimenta, nullo ferme bellico apparatu instructa, cepit, ut eo facilius admota etiam classe Neoportum aggredi valeret, minus tamen prospero expeditionis auspicio id factum: quippe viginti naves onerariæ a Friderico Spinola Hispanæ classis Præfecto invasæ partim captæ, partim igne absorptæ sunt, aliæque centum quinquaginta Fœderatorum naves, dum vento destitutæ hærebant, ægre Frider-

Friderici impetum evasere: insuper **Sæcul. XVI.**
 Alberti copiæ die prima Julii Auden- **A.C. 600.**
 burgum, & Snaschercham recupera-
 runt, atque in Ernestum Nassovium,
 quem Mauritius Lassingam præmiserat,
 die septima Julii irrumpentes eundem
 profligarunt, quo in prælio ex Prote-
 stantibus mille cæsi, captique quamplu-
 rimi sunt. Mauritius infausto hujus fortis
 nuntio territus convocato belli Senatu
 rem ad prælii necessitatem deventum
 esse exposuit, loci opportunitate ad pu-
 gnandum invitante. Nec segnior Al-
 bertus Archidux a Claudio Barlotta in-
 citatus prompto certamine hosti nupe-
 ra clade territo animum colligendi spa-
 tium præripere statuit, ejusque jussu
 Mendoza primus in Nassovium irruit:
 verum hostis studiose retrocedentis a-
 ctum minime animadvertens in eum lo-
 cum incautius abripitur, ubi tota belli
 tormentorum tempestas in Alberti E-
 quites impune tanto impetu detonare
 poterat, ut pedem referre cogerentur,
 mox tamen peditum agmen non sine
 magna clade foederatos e vicino colle
 repellebat, diuque alternante fortuna
 utrinque dimicatum est, Alberti copiis
 nunc victoribus, nunc devictis, donec
 tandem post atrox quatuor horarum
 certamen sole jam ad occasum vergen-
 te Galli Equites loricati in insidiis huc-
 P p 3 usque

Sæcul. XVI.
A.C. 1600. usque latentes, proin viribus integri in Hispanos dimicando fessos irruerent, illosque in fugam agerent: cum ergo Albertus, qui toto conflictus tempore non minus militis gregarii, quam Ducis partes obibat, atque ex hastatæ securis ictu prope auriculam saucius erat, fugitivos sistere nequiret, Mauritio aciem cedere cogebatur, capto ipso etiam Mendoza præter plures alios Tribunos, & quingentos milites: cæforum autem numerus oppido incertus est, Scriptoribus quibusdam duo, tria, aut quinque omnino Catholicorum millia, Fœderatorum vero duo, quatuor, vel sex millia recensentibus. Ceterum ipsa hæc victoria Mauritio parum proficua exstitit; quippe die vigesima quarta Julii Neoperti, & Divæ Catharinæ propugnaculi obsidionem erumpentium fortitudini resistendo impar solvere coactus est, ipsiusque classis a Friderico Spinola sæpius infestata, ad majoris momenti expeditionem pene inutilis reddebatur.

§. XXVII.

Fœda, ac detestanda Gallorum proditio.

Spond. n. 17.
Thu l. 124.
p. 910. **D**amnum, quod Christiani in Hungaria perpeffi sunt, eo magis acerbum videbatur, quo minus ab ipsis Catholicis inferri timebatur. Tenebant Papam,